

*nota quod iste archiepis-
copus non est subditus
sumo pontifico set est sub-
ditus cuidam catholic.*

*xristiani istius insule
sunt sapientiores uenefici
qui reperiantur in mundo*

nota hic de ueneficijs

legem macometi obseruant

lucrum/ iste quidem archiepiscopus nichil ad faciendum habet cum sumo pontifice
set est subditus cuidam catholic qui moratur in baldac & iste catholic de baldac
mitit hunc archiepiscopum ad hanc insulam aut ipsi de insula ipsum eligunt &
catholic ipsum confirmat mitit etiam iste catholic clericos & prelatos per multas
partes mundi quemadmodum papa Romanus & omnes obediunt illi magno
prelato de baldac quem locum pape tenent ad hanc insulam ueniunt multi pyrre
cum eorum nauibus & cum fecerint cursum statuunt campum & uendunt omnia
que depredati fuerunt & optime uendunt ea quia xpistiani qui ibi sunt sciunt
quod omnia fuerunt ablata adorantibus ydola & saracenis & non xpistianis. & ob
hanc causam emunt omnia Item archiepiscopus istius Insule de scutra si moritur
oportet ut alius ueniat de baldac. Aliter nunquam archiepiscopum haberent uel
si ipsimet ipsum iligant quod confirmetur in baldac xristiani istius insule sunt
sapientiores uenefici qui reperiantur in mundo uerum est quod archiepiscopus
non consentit quod artem illam exercent & prohibet quantum potest set tamen
artem illam exerce[n]t & oculte & palam cum necessarium eis sit & sic archiepiscopus
pertransit quia non potest scire quis fecerit & bene ipsos excommunicat tamen
nichil ualet & dicemus de ueneficijs que isti operantur noueritis itaque quod
isti incantatores faciunt multas res diuersas & magnam partem. | eorum que uolunt 96^o
& si una nauis pyratarum istis de hac insula aliquod dapnum inferret non posset
ab hac insula discedere donec satisfecerit de omnibus dapnis abaea illatis nam si
irent cum uelis & haberent bonum uentum & prosperum faciunt rugare uentum
con[tra]rium qui eos reducit ad insulam & faciunt flare illum uentum quem uolunt
& faciunt mare tranquilum cum uolunt & quando uolunt inducunt tempestates
& uentos in mari & sciunt operari multa mirabilia ueneficia que non esse[n]t dicenda
in libro quia sunt ueneficia ex quibus res accidunt quas quando aliquis audire[t]
inferi multum miraretur ideo ipsa dimitemus & nichil amplius dicemus alia
ibi dicenda non sunt & ideo ult[er]ius procedentes dicemus de insula mogdaxo :/
Mogdaxo est quedam insula versus meridiem & distat a scutra ci[r]ca mile
Miliaria ipsius gentes macometi legem obseruant habent quatuor
sech. quod est dicere quatuor senes homines qui habent dominium
tocius insule & ipsam regunt. Ista insula est de maioribus & nobilioribus que sint
in mundo quia dicitur quod ista insula in circuitu suo girat circa tria milia
miliarium. viuunt quidem de mercimonijs & artibus. In ista insula nascuntur
plures elephantes quam in aliqua alia prouincia & in uniuerso orbe non uenduntur
tot dentes elephantum quot uenduntur in hac insula. Et | & [iam] in insula zaghybar. 97^o
In ista quoque insula comedunt pro maiori parte carnes. gamelorum & tamen de
multis alijs maneriebus carnum comedunt. Et occiduntur gameli singulis diebus
in tanta quantitate quod nemo poset credere nisi uideret. Et dicunt quod carnes